XXXIII.

1695, Mai 25.

Nos Iudex et Scabini Regiae Sedis et Imperialis Vrbis Aquisgranensis omnibus hoc praesens visuris lecturisque salutem et obsequium. Perhumane supplicauit tertia Augusti 1677 Nobis Iudicii nostri Procurator Renerus Cupper nomine praenobilis et Generosae Domicellae Annae de St. fontaine Dominae in Landermangh et Chantreux qualiter super gentilitia Bertolff dictorum de Beluen in Ruyff et Baelen documenta quaedam, attestata, chronica, aliaque monumenta, vel tota vel in passibus vel in sensu vidimari, transumi, extrahi, concordanter verti authentisarique Iudicialiter prout etiam Iudicij nostri iuxta id quod scimus testimonia super praefata familia et quod a multis retro saeculis uti alias hic et in vicinia Praenobiles Prosapias Regiam scabinalem sedem Imperialis huius urbis condecorarit, sibi impertiri necessum existimauerit implorando quatenus eum in finem iustae petitioni deferre non grauaremur. Cui cum libenter detulerimus, noluimus deesse, quin hisce nostris testaremur.

Primo quod antequam in sesqui folio chartae per piae memoriae anno ut dicebatur 1668 mortuum dominum Joannem Bertolff de Beluen haereditarium in Ruyff et Dominum in Baelen propria et per filium eius Dominum Wilhelmum Bertolff de Beluen coram nobis iurato agnita manu conscriptam et apud Dominum Ioannem Philippum Bertolff de Beluen reperibilem tabulam genealogiae Procurator produxerit, intendens ostendere ex Ioanne Bertolff et agnete de Kettenis, Dominam suam Principalem descendere. Tabulae autem passus proficuus talis erat: Ioan Bertolff et Agnes de Kettenis uxor prima habuerunt *primogenitum* Ioannem Bertolff de Beluen qui duxit Margaretham de Birgelen ex eaque procreavit Ioannem Bertolff qui ducta Elisabetha de Schwartzenberg improlis obiit, et Ioannam Bertolffs quae nupsit Ioanni Crummel de Echtersheim. In *secundum* vero *genitum* habuerunt Simonem Bertolff de Beluen. qui in primo matrimonio ex Agnete de Crummel suscepit Reinardum Bertolff de Beluen, qui Christinam de Rollenschwerdt duxit, et Euerhardum Bertolff de Beluen, qui ex Maria de Sancto Vito, prima coniuge, nullas proles, ex secunda vero Margaretha de Dunraedt progenuit Euerhardum occisum ab equo, Balthasarem insipientem, Ioannem qui Franciscam de St. fontain duxit et filiam Agnetem de Bertolff de Beluen quae Leonardo Gulpen de Rosmeule

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in matrimonium elocata est. Ex quo Leonardo et Agnete prouenerunt frambachius, qui duxit N. de Metternich. Euerhardus improlis, Leonardus qui duxit Annam de Eys dictam Beusdael, et Margaretha Gulpen nupta Henrico de St. Fontaine, ex quibus postremis nempe Henrico de St. Fontaine et Margaretha geniti essent N. de St. fontaine, quae nupsit Domino N. de Schoenhouen.

Secundo aliam magis extensam tabulam eadem manu prout praefatus Dominus declarabat scriptam et apud se declarantem reperibilem intentionis ostendere supra praefatum primum stipitem Ioannem Bertolff fuisse consulem et Scabinorum magistrum urbis Aquensis et ad Caesaream Maiestatem ablegatum. Verba autem Tabulae iuxta translatum haec erant: *Dominus Ioannes Bertolff Caesareae maiestatis Commissarius, Consul et scabinorum magister Aquisgrani, Agnes de Kettenis in primo matrimonio.*

Tertio aliud attestatum admodum reuerendi Domini Joannis Baptistae Bierens Archipresbyteri officialis et vicepraepositi Aquensis quod adhuc recenti et illaeso sigillo sub secunda Currentis Augusti expeditum et extractus authenticus ex libris feudalibus folio 106 et 107 antefati vicepraepositi et eius Curiae feudalis erat, intendens demonstrare *supratactum Ioannem Bertolff fuisse iuxta Tabulam genealogiae scabinum Aquensem, habuisseque ex Domicella Agnete Kettenis in filium Simonem Bertolff idque circa annum 1482.* Tenor autem extractus iuxta translatum in effectu talis erat, quod nempe Ioannes Bertolff scabinus Regiae sedis et urbis Aquensis coram Woltero de Bilsen Canonico et pro tempore vicedomino Aquensi in usum Simonis legitimi sui NB ex domicella agnete de Kettenis uxore filij cesserit et transportauerit haeredium suum in Belua prout sub parochia de walhorn situm est.

Quarto aliud documentum antiqui Caracteris in pergameno, cuius sigillum deperditum quidem, sed locus affixionis abunde apparebat, et in cuius dorso exterius partim antiqua partim paulo recentiori manu scripta erant haec verba: *Ioan. Bertolff van etc. Item 1493 D. et renontiation de Iean Bertolff du Total fieue de Beluen en faueur de son frere Simon cadet par mij liberme 1493 etc.* Interius vero in margine haec verba: *„Exhibitum 25 Augusti 1655“* quodque inter documenta Domini Ioannis Philippi de Bertolff de Beluen reperibile est probando per illud, *ante memoratum Ioannem Bertolff iuxta saepe dictam tabulam in uxorem agnetem de Kettenis ex eaque Ioannem et Simonem filios habuisse quodque Pater Mater praetactique filii iam tunc temporis titulo nobilitatis Juncker et*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Juffraw insigniti fuerint, prout ratione Juffraw apparuit ex attestato sub vers. 3 hic supra. Erant autem hoc Documentum literae Iudiciales Scabinorum in Walhorn de Anno 1493 prima Iouis post festum sancti Lamberti erectae et contextus in suo significatu seruiente et essentia talis, nempe Juncker seu Domicellum Ioannem [1]) Bertolff fratri suo domicello Simoni cessisse coram dicto Iudicio in Walhorn haeredum in libermé et in Merols aliosque reditus in Kettenis et alibi extra parochiam de Walhorn sitos, quae Dominus pater eius Ioannes Bertolff ipsi Domicello Ioanni in matrimonium seu donationem propter nuptias promiserat et quae nihilominus Domicello |: Junckeren :| Simoni filio suo et fratri Iohannis liberé dederat et ulterius praefatum Domicellum Ioannem Domino Patri suo Ioanni et Domicellae Agneti matri suae reditum ad vitam annue in festo Andreae cedentem et facientem 50 modios auenae mensurae Aquensis et quinquaginta bonos capones et quindecim florenos seu pro quolibet floreno 20 stufferos aquisgrani in sui patris domum libere soluendos promisisse proptereaque omnia bona sua obligasse.

Quinto binas antiquas sedis nostrae scabinales sigillatas Iudiciales literas primas de Anno 1492. 17 martij, alteras de 1498. 8 Aprilis ambas Charactere adhuc illaeso octoque sigillis munitas, ex primarum tamen Sigillis unum erat paulisper ruptum alterum Ioannis Bertolff deperditum, loco tamen affixionis adhuc integro, Secundarum vero sigilla omnia integra, inter quae Bertolffs a modernis Bertolfforum insignibus non diuersum conspiciebatur quae literae apud Dominum consulem et Scabinorum Magistrum Ioannem Wilhelmum de mulstro reperibiles sunt, in quibus inter scabinos primus ordine nominabatur Ioannes Bertolff; reliqui connominati confratres erant Gerardus Pael Iudex, Gerardus Beissel, Simon de Hochkirchen, Gerardus Ellerborn, Wylhelmus de Wylre, Ioannes Beissel et Hendricus de Hoochkirchen scabini, in secundis vero erant Ioannes von der Schmidden Iudex, Adamus de Haaren, Gerardus Elreborn, Wilhelmus de Wylre, Wilhelmus Colijn, Ioannes de Drimborn, Aegidius de Bischofstab.

Sexto Chronicam Spirensem Christophori lehman lib. 4 cap. 4 rubrica de discrimine liberarum et Imperialium Ciuitatum pag. 289 ubi ad comitia Imperatoria Wormatiensia pro Ciuitate Aquisgranensi anno 1495 Dominum Ioannem Bertolff laudabiliter deputatione functum esse legebatur.[2])

---

[1]) *Im Originale steht in Folge Schreibfehlers:* Domicellam Johannam.

[2]) *1495 waren Herr Johann Bertolf und Meister Peter von Enden Stadt-Secretär, Gesandte zu Worms, zogen aber wieder ab, weil die Ge-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Per haec duo ultima veritatem suprafatae tabulae genealogicae demonstrando quod nempe Consul, Scabinus et Commissarius ad Caesarem saepefatus Ioannes fuerit.

Septimo rursus idem attestatum admodum Reuerendi domini Ioannis Baptistae Bierens, supra puncto tertio mentionatum, in extractu secundo et tertio demonstrando in vim illius *Reinhardum et Euerhardum Bertolff de Beluen ex Simone iuxta assignationem saepe tactae tabulae fuisse filios et respectiue fratres.* Tenor autem extractus secundi ex libro secundo feudali hic erat: *qualiter Reinardus de Beluen petierit relivium bonorum a Patre suo Simone de Beluen relictorum,* tertii extractus ex eodem libro fol. 287 hic erat, qualiter Euerhardus Bertolff de Beluen expromiserit triginta modios Speltae. Quibus extractibus subscriptum erat: *hos extractus collationatos concordare attestor Ioannes geulen Sac: Apost: et Caesarea authoritate notarius publicus,* addito illaeso sigillo domini Archipresbyteri eiusque subscriptione propria.

Octauo certas literas sigillatas Iudicialis banci in Houselt anno 1501 in ferijs sancti Matthiae 23 februarii coram Wilhelmo von de Houe praetore Nicolao Schellart etc. alijsque scabinis praefati Banci erectas et quatuor sigillis, quorum duo adhuc integra, duo autem deperierant, munitas apud D. Wilhelmum Adolphum de Eis dictum Beusdal reperibiles, quibus apparebat *Domicellum Ioannem Bertolff et Ioannam fuisse ex Domicella Margaretha fratrem et sororem, maritumque dictae Ioannae fuisse domicellum Ioannem Crummel de Echtersheim.*

Nono literas sigillatas eiusdem Iudicialis Banci de Holset coram praetore Lambrechto Bithan, Nicolao Schellardt aliisque scabinis Anno 1511 15. februarij erectas integro caractere et sex illaesis sigillis adhuc munitas et loco suprafato reperibiles, ex quibus constabat, iam statim nominatum domicellum Ioannem Bertolff in uxorem habuisse Elisabetham et affinem Ioannem Crummel de Echtersheim quippe quod ibidem dictus Ioannes Bertolff cum uxore sua Elisabetha affini suo Ioanni Crummel confessus fuerit debitum quadraginta florenorum Aquensium etc. intendens *saepefatam tabulam genealogicam per haec duo in eo corroborare quod ex Ioanne Bertolff Iuniore et Margarita de Birgelen inibi specificatis natus fuerit Ioannes Bertolff qui Elisabetham de Schwarzenbergh duxit et Ioanna Bertolff uxor Ioannis Crummel de Echters-*

---

sandten von Köln die erste Stelle unter den Gesandten der Freistädte einnahmen. (cfr. Lehmann l. c.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

heim quodque *illi uti Patrueles Renardi et Euerhardi de Bertolff nobilitatis titulo circa id temporis iam tum usi et gauisi fuerint, sic etiam vicissim quod Renardus et Euerhardus debuerint fuisse gauisi.*

Decimo extractum libri reliuij Curiae feudalis ducatus et urbis Limburgensis per C. Hamoir secretarium vidimatum etc., quo in libro folio 20 per praefatum Secretarium vidimata partitio et transactio inter Domicellum Ioannem Bertolff de Beluen in Ruyff et inter nobilem et strenuum Domicellum Leonardum Gulpen in Rosmeulen reperienda et ex fine eius subscriptioneque aperte videri potest Domicellum Ioannem de Bertolff et Domicellum Leonardum de Gulpen uti affines consentiente respectiue matre et socro domicella Margaretha de Doenradt vidua Bertolffs interesse amicabiliter partitos fuisse et transegisse in Ruyff 4ta martij 1595 superstantibus compositoribus Theodoro Bertolff de Beluen et Ioanne Hausman, rursus exinde veritatem saepefatae tabulae inducens nempe quod *Ioannes Bertolff et uxor Leonardi de Gulpen nati sint ex Euerhardo Bertolff et Margaritha de Doenrath quodque titulis nobilitatis usi fuerint.*

*11*⁰ transactionem quandam quinque sigillis nempe D. D. Ioannis de Hammerstein Abbatis monasterij Sancti Cornelij ad Indam, Leonardi de Houen, Wilhelmi Spies, Stephani de Newdorf et Henrici de Hammerstein munitam et inter praefatum Henricum de Hammerstein et Theodorum Melchiorem reliquosque fratres de Beluen ratione homicidij anno 1580 17 augusti initam et apud consulem et scabinorum magistrum D. Ioannem Bertramum de Wylre repertam, in qua continebatur familiam de Beluen pro bona et antiqua nobili reputatam fuisse a quocunque praefatumque Henricum de Hammerstein eam pro tali et sua propria non inferiori reputare.

*12*⁰ Chronicam Aquensem Ioannis Noppij lib. 3 sub num. 29 in subscriptione antiquae ordinationis Iudicii electiui Aquensis pag. 75 et 76 intendens demonstrare *circa annum 1338 familiam de Bertolff iam tum fuisse inter eas nobiles quae circa ista tempora urbem Aquensem gubernarunt,* reperiuntur autem ibidem subscripti Ioannes Nepos Bertolff et Wernerus domini Bertolffi nepos.

*13*⁰ antiqui sepulchralis lapidis in paruo coemeterio ante basilicam Divae virginis hic iacentis per eam ostendendo circa eadem tempora nempe 1330, 40, 50 familiam de Beluen fuisse inter eas, quae scabinalem sedem urbis Aquensis administrarunt, quod hic supra vers. 12 nominatus Ioannes ex post scabinus fuerit. Superinscriptio autem haec per amanuensem nostrum iuratum ex mandato

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

desumpta una cum inciso insigni monocerotis in posteriores pedes erecti, quantum legi potuit sonat in haec verba: *Hic iacent Ioannes dictus Bertolff scabinus aquensis et Alcidis uxor eius sepulti anno Domini 1353 in vigilia natiuitatis Beatae Mariae. orate pro eis.*

14⁰ antiquas sedis nostrae scabinalis Iudiciales et apud Dominum consulem Ioannem Wilhelmum de mulstrohe repertas literas undecim sigillis, inter quae tria deperierant, reliqua vero et praesertim Bertolffs, qui pro insigni erectum in posteriores pedes Monocerotem cum galea habebat, illaesa erant, munitas et anno 1420 sub 9 Iunij, in quibus inter scabinos Aquenses Martinus Bertolff recensebatur et connominabantur cum eo Henricus de Raedt vicepraetor, Wilhelmus de Pont, Nicolaus de Raedt, Gerardus de Wijlre, Wolterus Volmer, Anastasius de Segraedt, Matthias Durzandt, Gerardus Beissel de Heisterbach, Lambertus Bock et Petrus de Bucke scabini, confirmando anteriora quod nempe Bertolffi ante priuilegium Friderici tertii de anno 1454 uti vocamus de Bertolff urbem et scabinatum rexerint.

15⁰ ante praefatam chronicam Spirensem lehmanni lib. 2 cap. 21 rubrica de comitibus locum tenentibus etc. pag. 103 vers. *in der Wahl hat man auf nachfolgende,* Item lib. 4 cap. 2 rubrica: *de aliquibus proprietatibus antiquarum ciuitatum Imperialium* pag. 272 vers. *die andere eigenschaft ist,* ubi reperitur circa illa praefata tempora moris fuisse, ut illi, qui Ciuitates Imperiales rexerunt et sedes Iudiciales cohonestarunt, necessario debuerint fuisse orti ex nobili antiqua familia, Inducendo *quod quia de Bertolff praecipuam Urbium Imperialium eiusque Iudicia antiquis illis saeculis coadministrarunt, nobili antiqua familia debuerint fuisse orti.*

16⁰ Chronicam Noppij antememoratam lib. 3 num. 20 pag. 57 et 58 ubi in Priuilegio Imperatoris Friderici tertij de anno 1454 Scabinus Aquensis necessario de famigeratissimis et optime possessionatis antiquis familiis Aquensibus esse debebat adeo, ut iuxta authores Germanicos et antecitatum Lehmannum de alijs quam de antiquis nobilibus non potuerit fuisse dispositio, *consequenter familiam de Bertolff cum ante temporis praefati priuilegii fuerit* inter Rectores urbis et sedis scabinalis Aquensis debuisse fuisse in possessione bonae nobilitatis.

17⁰ In quorum corroborationem permisimus produci librum insignium suis coloribus depictorum omnium quotquot ordine ab anno 1300 fuerunt scabinorum Aquensium, qui liber ex archiuio Iudicii nostri est, in quo statim initio fol. 2 pagina recta, item folio 3 pagina recta, item fol. 6 pagina recta, item fol. 8 pag. versa,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

item nono pagina recta, item undecimo pagina recta et 19° pagina versa et sic septies inter praefata usque ad haec tempora insignia de Bertolff reperiuntur eiusdem coloris et modi, prout nunc portantur, et quae ad expressa in supra vers. 5to et 14to tactis literis scabinalibus et praesertim adhuc cum alijs valde integris anno 1500 3 martij erectis et apud saepefatum Dominum consulem de mulstro repertis, In quibus saepe nominatus Ioannes adhuc ut scabinus subscribitur, contulimus et uniformia reperimus, nempe in iam statim dictis literis monocerotem in posteriores pedes erectum cum galea desuper piliolo et rursus praefato modo erecto monocerote, qui monoceros collatus ad monocerotem libri[1]) insignium deauratus seu flauus est in campo azureo seu nigro, iuxta duo ultima insignia libri in piliolo eleuato margine flauo alias nigro monocerote desuper rursus existente flauo seu aureo. Denique

18° Chronicam Aquensem Petri a Beck cap. 1 pag. 9, ubi de scabinali sede Aquensi conformiter ad suprafatum Lehnmannum in haec verba disserit: *„equidem quondam militaris et Equestris ordinis et plurimos fuisse universos Indicij huius assessores non est quod quisquam ambigat, hi subinde pro temporis exigentia in confinijs Vrbis domicilia sua tenuere statis Iudicialibus aquis comparentes, quandoque ipsam incoluerunt ciuitatem* etc.“ Et rursus pag. 10, ubi his verbis etc.: *„Ita et sors aquis factum, perseuerant enim etiam nunc in Urbe hac complura gentilitia nomina aedium quas olim nobilitas indigena vel finitima incoluit* etc. et rursus infra: *sunt et aliae quae partim interciderunt; partim adhuc supersunt priscae prosapiae Aquis et in viciniis celebres Rodenbergh, Morich, Zeuel, Seggradt, von Pont, Eichorn, Beissel, Colijn, Streithagen, Dobbelstein, Beulardt, Chorus siue Chorris, Haaren, von Bertolff qui dicuntur Beluen, Elreborn, Wilder siue Wylre, Stommel, Bock, Hartman etc. patritias stirpes etc. lubens volens praetereo*“ etc.

Et quia praefatus supplicans institit, ut quid Iudicio nostro super familia Bertolff de Beluen cognitum esse attestaremur, quoad personas vero nostras hic et in vicinia nomen Bertolff de Beluen communi fama, omni quod scimus tempore pro nobili reputatam et reputari audiuerimus, quoad Iudicij vero et sedis nostrae scabinalis Documenta Vrbis et alia Chronica etiam appareat familias eas, quae antiquissimis temporibus Iudicia aut gubernacula vrbium Imperialium tenuerunt, et quae titulis Domicellorum circa ea tempora usi sunt pro nobilibus fuisse habitas et reputatas meritoque nunc haberi debere et reputari. Hinc est, quod in robur huius et omnium ante-

[1]) *In der Urkunde steht*: librum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dictorum coram nobis suprafato modo productorum repertorumque fidem hoc Documentum solenniter expediri, consuetis Iudicii sigillis muniri et per nostrum Syndicum et Secretarium subsignari voluerimus et iussimus. Datum Aquisgrani 3tia Augusti 1677.

L. S. L. S. L. S.

Erat subscriptum: Tilmannus Schroder.

Nos Iudex et Scabini Regiae Sedis et liberae Imperialis Vrbis Aquisgranensis notum facimus et attestamur, quod suprascripta copia cum prothocollo nostro Judiciali, unde est extracta et desumpta, verbotenus et in Substantia prorsus concordet, et quandoquidem Dominus Wilhelmus Adolphus de Eyss, dictus Beusdall, conscabinus noster ad usum suum eandem sub impressione sigillorum nostrorum sibi dari petierit obtinueritque hinc consonantiam seu concordantiam eiusdem cum originali prothocollo ut supradictum, non tantum volumus attestari, sed hoc nostrum testimonium sigillorum nostrorum appositione, uti et syndici et secretarii nostri subscriptione iussimus communiri hac vigesima quinta maij 1695.

Gabr. Meessen Dr. synd. et secret. m. pr.

Es haben untersiegelt und sind auf dem umgeschlagenen Rande der Urkunde genannt: von Schmitberg, Rohe, Pallant. Die Wappen auf den Siegeln sind nicht mehr zu erkennen.

Die Urkunde befindet sich in meinem Besitze. Der besseren Uebersichtlichkeit wegen habe ich einige Stellen mit Cursiv-Schrift und den Context in mehreren Absätzen abdrucken lassen.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf